

CIRCA SECUNDUM LIBRUM.

DE NATURA ET CAUSIS.

QUÆSTIO IX.

DE NATURA, ARTE, ET VIOLENTO.

In ipsa definitione naturæ eas particulas posuit Philosophus, quibus natura ab artificio, et violento distinguitur. Utrique enim opponitur illa particula, *principium motus ejus, in quod est*; non enim ex intrinseco principio movetur, sive quod movetur arte, sive quod vi. Et ideo, quia oppositorum eadem est ratio, agendo de natura, quæ principium motus infra se habet, simul agemus de artificio, et violento, quæ solum habent principium extrinsecum motus. Licet autem natura etiam opponatur supernaturali et libero, tamen ad Physicum non spectat illas differentias per se considerare, quia utrumque tam supernaturale, quam liberum a motu sensibili non dependent: violentum autem et artificiosum in sensibili sinveniuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

Explicatur definitio naturæ.

Varias naturæ acceptiones plerique derivant, sed evidenter S. Thomas ex Philosopho v. *Metaph. tex. v.*, ejus acceptiones declarat i p.

quæst. XXIX, art. 1 ad 4, et hoc modo analogiam hujus nominis explicat: « Nomen, inquit, naturæ primo impositum est ad significandum generationem viventium, quæ dicitur nativitas. Et quia hujusmodi generatio est a principio intrinseco, extensum est hoc nomen ad significandum principium intrinsecum motus. Et sic definitur natura in secundo Physicorum. Et quia hujusmodi principium est formale, vel materiale communiter tam materia, quam forma dicitur natura. Et quia per formam completur essentia cujuscunque rei, communiter essentia cujuslibet quam significat ipsa definitio vocatur natura. Unde Boetius dicit: Quod natura est unum quodque informans specifica differentia, specifica enim differentia est, quæ complet definitionem, et sumitur a propria rei forma. » Ita D. Thomas.

Igitur natura absolute sumpta, et sine addito istis quatuor modis sumitur, scilicet pro nativitate seu nascentia, pro principio motus seu generationis, pro materia, vel forma, pro essentia et quidditate, quæ explicatur in definitione. Aliquando vero natura sumitur cum aliquo addito pro tota universitate rerum, ut quando dicimus: Aliquid est in rerum natura, et D. Thomas sæpe docet totam naturam esse instrumentum Dei, ut i. ii, q. 1, art. ii, et q. vi, art. 1 ad 6. Aliquando sumitur pro

ipso auctore naturæ, qui non tam est natura, quam origo ipsa, principiumque totius naturæ, et ab aliis appellari solet asperiori vocabulo *natura naturans*, id est, ordinans naturam.

In præsentem ergo naturam considerat Philosophus in secunda acceptione pro principio motus intrinseco, ut D. Thomas advertit loco citato et ii Physic. lect. ii. Quod autem ex principiis istis componitur potius est principium, quam principium. Quod si dicas: Cur ergo Philosophus egit de principiis rei naturalis in primo libro, et rerum in hoc secundo agit de natura pro principiis rei naturalis, respondetur quod cum natura definiatur hic respective, ut S. Thomas advertit in hoc secundo Physicorum, lect. i, id est, sub habitudine ad totum, non inconvénit de principiis rei naturalis tractasse in primo libro, quatenus ex illis constat ens naturalis sive in fieri, sive in facto esse. Hic autem de principiis rei naturalis, seu de natura agit sub habitudine, et respectu ad motum, sic enim induit rationem naturæ, in quantum est principium motus, sive active, sive passive, atque ita in primo libro considerantur principia, ut constituenta ens naturale, sive in fieri, sive in facto esse, ibique non tam consideratur principium ut activum, et passivum, quam ut materiale et formale. In præsentem vero considerantur principia non ut constituenta ens naturale, sed ut principiantia motum, et ita consideratur principium ut activum, vel passivum.

Est igitur definitio naturæ: Natura est principium et causa motus, et quietis ejus, in quo est primo, et per se, et non secundum accidens. Primo loco ponitur in definitione naturæ principium, et causa. Cur utrumque posuerit Philosophi multi quærent, et multa respondent. Aliqui solum majoris explicationis gratia: alii, quod addidit causam ad componendam privationem, quæ est principium motus, et non est natura, quia non est causa. D. Thomas ii Physic. lect. i, dicit poni principium, et causam ad designandum, quod in aliquibus natura, est principium passivum, in aliis activum, et hoc designatur per *ly causa*. Addere etiam possumus, quod quia intendebat Philosophus definire naturam substantialem, ut ex quarta particula constabit, oportuit significare, quod esset principium motus non quomodocunque, sed primum, seu radicale, et positive ordinatum ad motum, ideo nec posuit solum principium, quia hoc etiam convenit privationi, nec solum causam, quia hoc etiam convenit virtuti, sed potentie motivæ, quæ est accidens, sed utrumque conjunxit, ut intelligeretur, quod debet esse principium positivum causans motum, non tanquam medium operandi, quod est virtus, sed tanquam principium, quod est radix.

Secunda particula est, *motus, et quietis*. Nomine *motus* non intelligitur solum localis, sed quicumque motus physicus, et componens, sive localis, sive alterationis, etc. Illa autem copula *et*, non intelligitur copulativam, ita quod ut aliquid sit natura, oporteat utriusque esse principium, sed intelligitur distributive distributione accommodata: in aliquibus enim natura est principium motus, in aliis quietis, in aliis utriusque: solius motus, ut in viventibus, in quibus si omnis motus cessat, cessat vita; solius quietis, ut in celo empyreo, et in toto terræ globo qui perpetuo quiescit; utriusque, ut gravia, et levia, quæ aliquando quiescunt, aliquando moventur, eo quod in eis unum ordinatur ad aliud,

scilicet motus ad quietem. Quare tota natura in communi est principium motus, et quietis distributive. Non autem ponitur disjunctive, motus, vel quietis, ne daretur intelligi, quod ad naturam in communi, seu ad totam collectionem naturæ sufficeret alterum, scilicet sola quies vel solus motus; dum autem utrumque distributive intelligitur, omnia in tota collectione naturæ reperiri significatur. Neque est in consuetum sic tradere definitiones, sicut quando anima definitur a Philosopho quod anima est, qua vivimus, sentimus, loco movemur, et intelligimus: non quod omni animæ in singulari id competat, sed aliquid illorum omni animæ, alicui etiam animæ omnia illa, sicut animæ rationali. Nomine vero *quietis*, non intelligitur pura carentia motus, sed carentia illius cum possessione termini, hujus enim quietis possessivæ, principium reale est natura. carentiæ vero qua tenus est nihil, non datur principium reale.

Tertia particula *ejus in quo est*, ponitur ad excludendum principia extrinseca motus. Hæc enim non constituunt naturam, et sic excluduntur artificialia, quæ non habent motum ortum ex aliqua forma, seu principio intrinseco, sed ab arte, quæ extrinseca est naturæ, et similiter violentum, quod est ab aliqua vi extrinseca, et denique efficientia alicujus motus in aliquid extrinsecum constituit aliquid, nec determinat naturam, sed solum quatenus in se movetur aliquo principio intrinseco; unde ignis non dicitur natura, quia active calefacit aliud extra se, nec animal ex eo quod generat aliud, sed quia habet principium motus in se; ut ignis, quia potest descendere sursum, et aqua, quia potest descendere deorsum, et similiter, quia potest calefieri et

corrumpi; ad hoc enim habet principium intrinsecum passivum, et sic omne principium motus convenientis ipsi mobili dicitur natura.

Sed dices: Calefactio ignis, etiam ut actio est, est naturalis neque enim libera, vel artificialis, vel violenta est; ergo procedit a natura ut natura est; et idem dici potest de generatione, quæ est actio procedens a natura, ut natura est.

Respondetur, actiones illas dici naturales, non quia natura constituitur ratione illarum, vel per ordinem ad illas, sed quia consequuntur ad naturam, et ex inclinatione illius sunt, vel ad naturam propagandam ordinantur. Hoc enim quod est efficere, vel movere alteram a se etiam potest competere agenti non naturali, sed artificioso, et violento, imo et principio immobili alia moventi, scilicet Deo. Ex hoc ergo quod aliquid moveat aliud præcise, non dicitur natura, nec pertinens ad rationem mobilis; sed tamen potest dici actio erga alterum naturalis, vel quia naturam generat, vel quia a naturæ inclinatione procedit; quod totum supponit naturam constitutam, non autem formaliter constituitur per hoc, quod sit principium talis motus moventis aliud a se.

Quarta particula est *primo et per se, et non secundum accidens*. Ubi particula *primum*, denotat secundum communem explicationem, quod natura non debet esse principium motus secundarium, et instrumentale, quale est accidens, sed radicale primum quale est substantia: accidens enim est aliquid adjunctum naturæ, non constituens naturam, sed illi constitutæ inhærens. Denique additur illa particula *per se et non secundum accidens*, juxta aliquos solum ob majorem explicationem juxta alios, præsertim

D. Thomam, et secundum textum litteræ, ad excludendum ea, quæ ab aliquo interiori moventur, sed per accidens adjuncto, sicut, v. g. cum medicus curat seipsum, talis sanitas provenit a principio ipsi medico intrinseco, sed tamen quia contingit hunc, qui sanatur, esse medicum; per se enim est quod infirmus sanetur, per accidens vero, quod qui est infirmus sit medicus; ideo non dicitur sanari a natura, sed ab arte, sicut alii infirmi, qui curantur a medico.

Sed instabis contra utramque particulam: Nam potest dari ars ad faciendam opera, non alterius, sed sui tantum, sicut ars cantandi, saltandi, et ratiocinandi, etc. quæ non per accidens, sed per se, id est, ex suo objecto solum possunt fieri a principio intus existenti, et in eo, in quo est; ergo per hoc non differunt naturalia ab arte. Item superflue ponitur duplex illa particula *primo per se*; nam si est primum principium, hoc ipso non est accidentaliter conjunctum, et consequenter est per se.

Respondetur quod illa opera artificiosa quantum ad substantiam non fiunt ab arte, sed solum quantum ad modum, quo diriguntur, et sic licet ex parte substantiæ operis sint actiones propriæ ipsius subjecti, et a principio intrinseco fiant, tamen quantum ad modum, quo fiunt secundum talem directionem artificiosam, non fiunt a principio intrinseco ipsi naturæ corporeæ, quæ sola est natura mobilis, de qua in præsentibus agimus, sed fiunt a principio adquisito per cognitionem, et non habente radicem in ipsa natura, sed accidentaliter conveniente, et sic dicitur principium intrinsecum, quia inhæret in ipso homine, non quia a natura dimanat. Specialiter autem ars ratiocinandi non dirigit opera naturalia, sed operatio-

nes intellectus artificiose disponendo objecta, non introducendo in ipsos actus rationis artificialem et realem formam.

Ad secundum dicitur, quod illa particula *primum* denotat, quod principium debet esse intrinsecum radicale, sed quia non satis explicatur, quid sit esse radicale principium, adhibetur illa particula *per se*; sic enim intelligimus, quod non solum est primum respectu operationis, et motus, sed quod in ipsa essentia rei est primum tanquam per se illi conveniens.

Sic explicata naturæ definitio plures habet difficultates. Sed quia omnes illæ non tam difficultatem faciunt circa ipsam definitionem naturæ, quam circa ea, in quibus ratio naturæ invenitur sequenti articulo declarabuntur.

ARTICULUS II.

In quibus ratio naturæ invenitur?

Circa ea, quibus convenit ratio naturæ aliqua se offerunt difficultates. Prima, an ratio naturæ conveniat composito; an solum partibus componentibus, scilicet materiæ, et formæ? Secunda, an conveniat cælo? Tertia, an conveniat elementis, scilicet gravibus et levibus? Quarta, an conveniat animæ rationali, ut rationalis est? Denique, an conveniat Angelis, et Deo?

De composito.

Si totum compositum sumatur pro supposito subsistente in concreto, manifeste excluditur a Philosopho a definitione naturæ in hoc secundo libro, tex. XII, dicens: « Quod compositum natura quidem non est, sed est, et constat natura, ut homo. » Itaque compositum est

principiatum, non principium: natura autem principium est motus, et quietis; similiter theologia distinguit naturam a supposito, et in Christo fatetur duas naturas et unam Personam; et in Deo tres Personas, et unam naturam, non ergo suppositum, seu Persona natura dicitur.

Si vero loquamur de toto, non pro ipso supposito, sed pro forma totali, sicut verbi gratia, humanitas, in qua materia et forma inveniuntur; controvertitur ab aliquibus an conveniat illi ratio naturæ, nam ex una parte non videtur id posse negari, cum fides fateatur, quod Verbum assumpsit humanam naturam, id est, humanitatem ipsam, non assumpta Persona; ergo humanitas natura est. Deinde, quia humanitas est principium, et ratio operationis per modum principii *quo*, non per modum principii, et *quod*, ut evidenter patet in Christo respectu operationum, et motuum, qui media humanitate illi conveniunt, horum enim motuum humanitas est principium *quo*; ergo convenit illi definitio naturæ ab Aristotele designata. Quod enim aliqui dicunt humanitatem in Christo Domino esse operativam *quod*, et non solum ut *quo*, neque actiones esse suppositorum, sed singularium supra q. vii, art. ii, impugnatum est. Quod si convenit formæ totali esse principium operandi *quod*, de partiali forma substantiali etiam id poterit dici, et sic talis modus operandi ut *quod*, in forma totali non magis excludet illam a ratione naturæ, quam formam partialem.

Ex alia vero parte excludi videtur forma totalis a ratione naturæ, quia licet humanitas sit principium *quo* motus, et quietis, non tamen est primum principium simpliciter et tanquam elementum primum, unde generatio fit, quia ita est princi-

pium, quod etiam est principiatum; ex aliis prioribus, scilicet materia et forma, unde non includitur in definitione data, quæ dicit, quod natura est principium motus, et quietis primo et per se, humanitas autem non est principium primum, sed ex primis principiis constans. Et adstipulatur Philosophus v. Metaph. text. i, dicens: « Quod natura principium est, et elementum, » sumit ergo naturam non pro quolibet principio, sed pro principio quod est elementum, humanitas autem non est elementum, sed ex elementis. Item ibidem cap. iv, text. v, dicit Aristoteles: « Quod natura est id, ex quo primo inexistente generatur, quod gignitur, » primum autem inexistens, ex quo aliquid generatur, non est integra natura, seu humanitas, sed pars aliqua, ex qua fit humanitas. Nec tamen negat ista sententia humanitatem, seu formam totalem esse naturam sumpta natura pro quidditate, seu essentia, ut opponitur supposito, non tamen esse naturam prout explicatur in definitione Aristotelis, quæ solum includit prima principia motus, et quietis, non quæ sunt ex his.

Hæc difficultas non tanti momenti est, quanti fit ab aliquibus, qui nimis in hæc ultimam sententiam inclinant, sed tamen prima sententia videtur magis conformis menti D. Thomæ qui in v. Metaph. lect. iv, explicans illa verba Philosophi text. v, ubi dicit: « Quod est natura ipsa forma ut substantia, » intelligit illa de forma totali. inquit: « Quod non solum forma partis dicitur natura, sed species ipsa, quæ est forma totius, ut si dicamus, quod hominis natura non solum est anima, sed humanitas, et substantia, quam significat definitio. » Ita D. Thomas. Cum autem in illo loco Philosophus agat de natura eo modo, quo illam de-

finivit in hoc secundo libro Physicorum, siquidem ex illo loco oppositi Auctores suam confirmat sententiam, efficitur planum, quod D. Thomas etiam loquitur de natura, prout hic definita est ab Aristotele, quando illam tribuit formæ totali.

Ad fundamentum oppositum respondetur, quod in definitione naturæ, quando dicitur, quod est primum principium, ly *primum* idem est quod substantiale, seu radicale, ut opponitur accidentali, et instrumentali, non autem oportet, quod sit primum partiale, et per modum primi elementi. Humanitas autem principium substantiale est, et hac ratione primum. Quod vero dicitur humanitatem esse genitam, non vero principium generationis, respondetur humanitatem esse genitam ut *quo*, non ut *quod*; et sic manet intra lineam principii substantialis; id enim quod se habet ut *quo*, est principium ejus, quod se habet ut *quod*. Non autem requiritur quod natura sit principium generationis, sed sufficit quod alterius motus, nam in cælo datur natura, et non principium generationis.

Ad primam auctoritatem Philosophi dicitur, quod in illis verbis: *Natura quoque principium est, et elementum*, non attribuitur naturæ utrumque copulativum, sed naturæ, et elemento attribuitur, quod sit principium, quasi dicat, natura principium, et etiam elementum est principium, non vero natura est elementum, et principium. Quæ constructio litteræ significat ibi a D. Thomæ lect. i, dicens: « Quod natura est principium, sicut illud a quo incipit motus, elementum autem sicut pars prima in generatione rei. » Ad secundum vero locum dicitur, quod ibi Philosophus plures acceptiones naturæ referens ponit secundam, quan-

do dicitur natura, ex qua primo inexistente generatur, quod gignitur; tertium autem modum dicit esse, quando natura dicitur, unde primus motus in unoquoque est eorum, quæ natura sunt in eo secundum quod ipsum est. Qui tertius modus continet definitionem naturæ traditam hic in ii. Physicor. Ergo perperam ex denegatione illius secundi modi intenditur probari, quod humanitati non conveniat iste tertius.

De materia et forma.

De forma nulla est difficultas, quod sit natura, imo magis esse naturam, quam materiam, aperte docet Philosophus ii. Physicor. cap. i. De materia multi dubitant, et quidam extreme sentiunt in hac parte, sentiunt enim aliqui, solam materiam, vel generalius loquendo solum principium passivum non activum esse naturam, quod attribuitur Scoto in ii, dist. xviii, quæst. unica, ut referunt Conimbrienses in ii. Physicor. c. i, q. iii, art. i, et P. Fuente lib. ii. Physicor. q. i, diff. ii. Alii per aliud extremum solum principium activum sentiunt esse naturam, et ita excludunt materiam a definitione naturæ, quod attribuitur Valesio quæst. xi, ad tyrones, et eam videtur sequi P. Vazquez i-ii, disp. xxv, cap. iii. Nec possunt hanc sententiam negare, qui existimant rationem naturæ solum analogice convenire materiæ respectu formæ, ut Cabero hic tractatu secundo, disp. i, dub. iv. Et fundamentum hujus sententiæ dependet principaliter ex his, quæ articulo quarto dicenda sunt; præcipue enim fundatur in eo, quia naturale opponitur violento; ad rationem autem violenti requiritur, quod inveniat resistantiam in passo, quæ fit per activitatem illius, non

per receptionem passivam, alioquin omnis motus erit naturalis, quia omnis motus habet principium passivum: ergo ad rationem naturæ, ut opponitur violento, requiritur principium activum, et non sufficit passivum; quod fundamentum ibidem expenditur.

Fundamentum autem primæ sententiæ ad id reducitur, quia inde primo denominatur natura, unde mobilis esse dicitur, et in tantam est natura, in quantum mutabilis, sed esse mobile, et mutabile, importat principium passivum, ergo ratione illius aliquid denominatur natura.

Confirmatur, quia natura est principium motus intrinsicum, hoc autem non habet ratione principii activi, sed passivi, imo per accidens se habet ad motum, quod habeat principium activum ad illud, sicut si ægrotus habeat principium curatiōis, scilicet artem medicam, per accidens se habet ad sanationem. Unde etiam activum principium si purificetur ab omni passivo, exiit rationem naturæ, et solum est motor naturæ; ut ergo sit natura, necessario debet supponere principium passivum motus, et ab illo solo denominabitur natura, quia si ab activo denominaretur, etiam remoto passivo fieret denominatio; imo quando datur utrumque principium tam passivum, quam activum, ab activo nullo modo fit denominatio, ut patet in igne, qui non denominatur natura, ex eo quod calefacit active, sed ex eo, quod est mobilis passive. Neque negat hæc sententia, quod viventia habeant naturam; sed dicit, quod viventibus convenit natura ratione passivi principii ad motum, non ratione activi. Unde fit, quod ille motus sit in viventibus naturalis, qui est a principio extra ad quod vivens passive se habet, ut motus cordis, primus

actus intellectus, et similia; quæcunque enim determinantur ab alio, dicuntur naturaliter ferri; et recedit a naturali, quod se determinat, de quo D. Thomas I p. q. xviii, art. iii.

Nihilominus dicendum est: Ratione naturæ, ut explicatur definitione data proprie convenire materiæ, et formæ, principio activo et passivo, dummodo sit principium activum motus in seipso, sicut se movent viventia. Hæc conclusio summitur ex D. Thomæ II Physicor. lect. i, ubi inquit: « Quod in rebus naturalibus eo modo est principium motus, quo eis convenit motus, quibus ergo convenit movere, est principium motus activum; quibus autem competit moveri, est in eis principium passivum, quod est materia, quod quidem principium in quantum habet potentiam naturalem ad talem formam, et motum, facit esse motum naturalem. » Ita D. Thomas. Et videri etiam potest in locis articuli quarti citandis, ubi aperte tenet, etiam principium passivum esse capax violentiæ, et consequenter esse in se naturam. Et videri possunt pro hac sententia Conimbricenses ubi supra, et M. Soto in II Physicor. quæstione prima, conclus. iii.

Fundamentum est; tum quia motus naturales sunt diversi in diversis naturis, ejus diversitatis ratio debet reduci ad diversitatem formæ, et principii activi, ergo forma est principium naturale; tum quia in viventibus proprie invenitur ratio naturæ, alias sola inanimata, non autem viventia constabant natura; cum tamen vivens, in quantum vivens habeat processionem naturalem, scilicet generationem, quæ est opus naturæ, et alios etiam motus naturales: constat autem, quod unicus in hoc distinguitur a non viventi, quia habet principium activum se movendi, quod inanimato

non convenit, ergo principium activum proprie habet rationem naturæ. Nec dici potest motum proprium animalium, verbi gratia, motum progressivum non mere naturalem, sed mixtum ex violento, et naturali, quia fit per elevationem, et depressionem unius partis, et pro ea parte, qua elevatur, est violentus, et contra gravitatem. Contra hoc enim est; tum quia multi alii motus naturales inveniuntur in animali, qui nihil habent de violento, ut motus augmentationis, et nutritionis, motus cordis, pulsationis, etc. Tum etiam quia licet motus progressivus aliquid habeat violentiæ respectu gravitatis, non tamen respectu naturæ animalis, cui motus ille naturalis est, ut pote a propria virtute se movendi, quæ ex ipsa natura animalis, ut animal est, originatur.

Quod vero materia, et principium passivum habeant rationem naturæ, constat, tum quia ipsa materia prima per sui transmutationem vere est causa motus, et susceptionis formarum, ergo vere est principium motus et quietis; tum etiam, quia aliquis motus datur naturalis, qui non habet principium activum, neque ex parte formæ, neque ex parte materiæ, sicut motus cœli, supposito quod cœlum non est vivens, et tamen motus circularis est ei naturalis, ut contra Vazquez, et alios probavimus infra; et dispositiones quæ in aliquo subjecto recipiuntur, in illo sunt motus naturales, et non violenti, alias generatio non fieret naturaliter, et tamen in illo subjecto non habent principium activum, neque ex parte formæ, quia illam expellunt, neque ex parte materiæ, quia in illa recipiuntur.

Ad primum a principio, respondetur Conimbricenses hic quæst. iii, art. ii, sentire, quod omnis motus est naturalis respectu materiæ, vio-

lentus autem respectu compositi, si est contra inclinationem formæ: cæterum non potest omnis motus dici naturalis materia, cum non omnis disponat illam ad generationem formæ, quod solum est ei naturale, ut patet in motu, quo projicitur lapis sursum. Quare respondetur, quod licet naturale opponatur violento, et omnis motus habeat principium passivum suæ receptionis, non tamen principium passivum inclinationis, ut autem notavit D. Thomas II Physic. lect. i, principium passivum facit esse motum naturalem, in quantum habet potentiam naturalem ad talem formam et motum, et propter hoc factiones rerum artificialium non sunt naturales, quia licet subjectum naturale sit in eo quod fit, non tamen habet potentiam naturalem ad talem formam, nec est mobile a naturali agente, sed ab artificioso. Si autem quomodoecunque recipi, sufficeret ad naturalem motum, projectio lapidis sursum, cum in eo recipiatur, esset naturalis motus, et gratiæ infusio in anima, quia in ejus naturali entitate recipitur.

Ad argumenta facta in favorem Scoti respondetur, dici aliquid naturam in quantum mobilis, sed non ut præcise ad recipiendum, sed etiam si mobilis sit ad agendum, movent enim quedam ut mota. Itaque principium activum sine illa mutatione movens, est supra naturam, scilicet Deus. Si autem movet, ut indigens mutatione ad movendum, non excluditur a natura, quia mobilitate inducitur ad movendum.

Ad confirmationem respondetur, probare, quod non omne principium activum est natura, ut si sit principium intrinsicum per accidens, sicut quod infirmus habeat artem curandi, hoc enim principium est acquisitum, non innatum, et sic non est

natura. Sunt tamen alia principia activa, quæ sunt innata et intrinseca per se, et ad motum sui ordinata, ut in viventibus, et talia non excluduntur a ratione naturæ. Et in hoc peccant pleraque argumenta, quæ pro sententia Scoti multiplicuntur, probant enim principium passivum esse naturale, et opponi violento, et illud sufficere ad denominationem naturæ, non tamen probant excludi omne principium activum a natura, quando non est pure activum ut Deus, nec est principium solum ad movendum alia, sed etiam se.

Unde respondetur ad ultimum, quod denominatio naturæ non fit a solo principio passivo, sed etiam activo, dummodo habeat illas duas condiciones, quod non sit pure activum sicut Deus, sed movens motum, nec sit ad movendum alia, sed ad proprios motus sui, ratione cuius ignis, ut præcise calefacit aliud, non dicitur natura, quia non est principium motus in se.

Sed adhuc inquires: An materia et forma analogice dicantur participare rationem naturæ: Respondetur plures Auctores analogiam agnoscere, ut Cabero hic tractat. II, disp. I, dub. IV; Cursus Carmelitatorum disp. VII, quæst. VIII et alii. Fundantur, quia Philosophus dicit v Metaph. e. IV propter formam metaphoricè omnem substantiam naturam dici, ergo et analogice. Et II Phys. e. I, dicit quod forma magis est natura quam materia, non ergo materia simpliciter. Adde quod materia non habet secundum se oppositionem eum violento, nisi mediante forma, si enim solum sufficeret principium passivum ad rationem violenti, nec requireretur activa resistentia, quandoque excluditur forma a materia, pateretur violentiam, quia passiva erat ei conjuncta, et aer quando privatur luce, et cælum

cessante motu pateretur violentiam. Denique, materia nullius motus est causa nisi mediante forma, de se enim indifferens est, et in potentia ad diversos motus, ergo sicut causa in potentia est causa secundum quid, ita materia est principium motus, et consequenter natura secundum quid, quia in potentia.

Opposita tamen sententia pluribus placet Auctoribus, nec nobis displicet. Tenet eam Soto II Physic. q. I. Toletus, Placa, et alii; et ratio sumitur ex dictis, quia principium passivum vere et proprie habet rationem naturæ, et non habet esse principium omnis motus dependenter, aut participative a forma, nam per se est principium generationis in suo ordine, scilicet ut causa materialis, sicut est principium corruptionis, et ad illam habet naturalem inclinationem; ergo non est cur a propria et univoca ratione naturæ excludatur. Nec obstat, quod exerceri non potest talis motus sine forma, et dependenter ab ipsa, nam hoc modo etiam forma non potest exercere motum, nisi dependenter a materia. Et ratio naturæ non consistit in exercitio motus, sed in ratione principii; ratio autem principian-di, nec materiæ convenit per formam, nec formæ per materiam, sed utrique in suo genere per se essentialiter convenit, licet conjungi debeant, ut motus exerceatur.

Ad primum fundamentum oppositum ex auctoritate Philosophi respondetur quod in illo primo loco, cum dicit, quod propter formam omnis substantia natura dicitur metaphoricè, non sumit ibi naturam physicè, et ut in præsentia consideratur pro principio motus, sed pro quacunque quidditate, quæ est terminus generationis, et dicitur natura quasi nata, seu generata. Sumpta ergo natura in hac acceptione

pro termino motus, non pro principio, omnis substantia dicitur natura, id est, quidditas specifica a forma quasi a termino formali. Expositio est S. Thomæ in v Met. lect. v, §. Ponit duos modos, ubi inquit: « Sicut forma vel materia dicebatur natura, quia est principium generationis, quæ secundum primam nominis impositionem natura dicitur, ita species et substantia dicitur natura, quia est terminus generationis: nam generatio terminatur ad speciem generati, quæ resultat ex unione formæ et materiæ. Et ex hoc secundum quandam metaphoram et nominis extensionem, omnis substantia dicitur natura, quia natura, quam diximus, quæ est generationis terminus, substantia quædam est, et ita cum eo quod natura dicitur, substantia similitudinem quandam habet. » Ita D. Thomas. Et similiter quando subdit Aristoteles quod materia dicitur natura, quia formæ susceptiva est, ad litteram Philosophus loquitur de natura, non in nostra acceptione proprie dicitur natura ipsa forma, seu id quo aliquid actu habet naturam, id est, quidditatem; materia autem dicitur natura seu quidditas, quia hujus susceptiva est, non quia per se actu est talis. Sumendo autem naturam pro principio motus, materia dicitur univoca natura, et si susceptiva sit formæ, quia esse susceptivam formæ intrinsece, et per se illi convenit, et per se est principium rei sicut ipsa forma suscepta.

Ad secundum locum ex Physicis dicitur, quod materia est magis natura, non quod ly *magis* dicat analogiam, sed principalitatem, et comparisonem. Bene autem stat, quod inter univoca unum sit principalius

et perfectius altero, sicut homo leone in genere animalis. Et ita est magis natura specificè, non genericè, inæqualitate se tenente ex parte speciei, non ex parte generis participati, sed hoc analogiam non facit.

Ad fundamentum ex ratione dicimus latius art. IV, quomodo materia seu principium passivum pati possit violentiam, etiam ut passivum est.

Ad secundum respondetur, quod materia est indifferens ad plures motus, ad quos inclinatur nisi per formam, verbi gratia, ut moveatur sursum vel deorsum, augmentatione, vel diminutione, etc. Et tamen per se habet et independentem a forma esse principium recipiendi illos in toto. Alii vero motus sunt, ad quos materia habet immediatam inclinationem et per se, non mediante forma, sicut ad generationem substantialem, et receptionem formarum, licet determinatio ad istam formam potius quam ad illam ab aliquo agente disponente dependeat.

Et quando dicimus, materiam et formam univocari in ratione naturæ, non intendimus quod per se sint univocæ in aliquo genere, vel specie, sed supposito quod solum reductive pertinent, dicimus rationem principii et partis componentis, non inæqualiter et analogice, sed per se utrique convenire.

De anima rationali.

Difficultas est, an secundum gradum rationalem sit natura, non solum secundum alios gradus, scilicet vegetativum, et sensitivum; nam natura videtur esse principium motus corporalis ad Physicam pertinentis; motus autem partis rationalis independentes sunt a materia et mobilitate physica, potiusque ad Metaphysicum pertinere videntur, ut

intelligere et velle, quæ etiam aliunde naturæ metas excedunt, quia non sunt determinatæ ad unum, sed universalem habent indifferentiam, et de se permanere possunt, et convenire statui separationis.

Nihilominus asserendum est: Animam rationalem, etiam secundum gradum rationalem naturam esse, pro statu tamen quo est in corpore, status enim separationis ad considerationem de substantiis separatis spectat ad Metaphysicum per se et directe. Et ita Philosophus in hoc secundo libro, text. xxvi, docet quod terminus considerationis naturalis est forma, quæ aliquo modo potest esse separata, scilicet anima rationalis. Unde inquit D. Thomas ibi lect. iv: « Usque ad animam rationalem se extendit consideratio naturalis, quæ est de formis; sed quomodo se habeant formæ totaliter a materia separata, et quid sint, vel etiam quomodo se habeat hæc forma, id est, anima rationalis secundum quod est a corpore separabilis, et sine corpore existere potens, pertinet ad Philosophum primum, id est, ad Metaphysicum. » Igitur anima rationalis pro hoc statu ad physicam considerationem pertinet; et consequenter rationem naturæ induit, solum enim pro statu separationis ad Metaphysicum spectat.

Ratio hujus est, quia anima rationalis etiam secundum ultimum gradum rationalitatis vere constituit hominem, et est forma ejus, homo autem est ens naturale, etiam secundum ultimam speciem et gradum, ergo anima, quæ est forma constitutiva ejus, est natura etiam secundum istum gradum, id est, principium talis entis naturalis. Major negari non potest; nam anima rationalis, ut rationalis, est forma hominis, et in Lateranensi sub Leone x, et ratione constat, quia homo se-

cundum propriam hominirationem constituitur per aliquam formam, seu gradum formæ, et in quantum homo rationalis est: hæc enim est ultima differentia ejus, ergo forma, quæ dat esse rationale in quantum talis, constituit essentialiter hominem. Est etiam principium motuum rationalium, ut ridendi, flendi, loquendi, quæ licet mediante corpore exercentur, sunt tamen propria gradus rationalis, non vegetativi, aut sensitivi tantum.

Ad fundamentum oppositum respondetur, quod operationes animæ rationalis, licet secundum se, et propriam rationem spiritualem, sint independentes a corpore, dependent tamen ministerialiter et dispositive, quia pro hac vita exercentur dependentia a sensibus a phantasmatibus, et ratione hujus dependentiæ ad naturam spectant, sicut etiam generatio hominis naturalis est, licet anima non dependeat a corpore quantum ad esse, sed quantum ad informationem. Et cum instatur, quod non sunt operationes determinatæ ad unam, sed indifferentes, aut voluntariæ, respondetur quod ex hoc probatur non esse naturales illas operationes secundum se, et ratione principii a quo egrediuntur, bene tamen ministerialiter et dispositive, propter dependentiam quam habent a sensibus, a quibus etiam dispositive pendet libertatis exercitium; læsis enim vel turbatis sensibus non exercetur libertas. Et hoc non est dici naturales solum ratione modi, sed tota ipsa substantia actus, eo modo dicitur naturalis, quo pendet a principio naturali, scilicet dispositive, ab illa enim dispositione et ministerio sensuum, non solum dependet modus, sed totum ipsum exercitium actuum intelligendi, et volendi. Quod vero in statu separationis a materia, possint hujusmodi actus permanere non obstat, quia

ille status non est connaturalis animæ, sed semper inclinatur ad istum, quem habet in corpore, et ideo anima simpliciter est natura etiam separata, non propter statum separationis, sed propter connaturalitatem ad operandum in corpore, et secundum dispositiones sensuum.

De celo.

Specialis difficultas est, an in illo salvetur propria ratio naturæ propter duo? Primo, quia motus ille non est ei naturalis, secundum quod naturale opponitur violento, quia non est ab aliquo principio activo intrinseco, ut autem sit naturale oppositum violento, debet habere principium intrinsecum activum, quo resistat vi extrinsecus illatæ, passivum autem principium nullo modo resistit, ergo non patitur violentiam, et consequenter nec constituit naturam, quia illud est natura, sive naturalis motus, quod violento opponitur, et per violentiam tolli potest. Secundo, quia quies non est cælo naturalis, neque violenta, ergo neque motus naturalis est, neque ipsum cælum natura, siquidem natura principium motus et quietis, non motus tantum. Consequentia patet, quia omnis motus naturalis tendit ad quietem, si ergo quies non est naturalis, neque motus. Antecedens vero probatur. Quies non est violenta, quia nullum violentum perpetuum, cælum autem perpetuo quiescet post diem judicii; non est naturalis, quia non est acquisibilis motu naturali cæli, alias quamdiu illam non acquireret, non esset in actu perfecto, sicut grave extra centrum non est perfectum, et ideo motus ejus naturalis est, quia tendit ad quietem, nihil enim movetur propter moveri, cum moveri imperfectio sit. Quod si dicatur utrumque cælo esse naturale, et motum,

et quietem, ergo duo contraria sunt ei naturalia, quod repugnat.

Denique, accumulatur difficultas, quia pars cæli, si avulsa ab ipso poneretur in hoc mundo inferiori, neque moveretur, quia non esset assignate, quo motu moveretur, et ad quem terminum, neque quiesceret, quia est extra locum proprium, qui est super elementa, alias enim si quiesceret, naturaliter quiesceret, hoc ipso quod relinqueretur in quocunque loco, et sic quies esset ei naturalis, ac per consequens motus naturalis non esset.

Ultimo, cælum empyreum habet naturam, cum sit verum corpus, et tamen non potest moveri nec ad id habet principium: ergo natura non consistit in hoc, quod sit principium motus, et quietis.

In hoc puncto aliqui Auctores negant, motum cæli esse naturalem, fundati in illo principio P. Vazquez i-ii, disput. xxv, de quo agemus art. iv sequenti. Quod principium passivum non potest pati violentiam, et consequenter neque habet naturam ut opponitur violento. Unde aliqui simpliciter fatentur motum cæli esse violentum, propendere autem in quietem naturaliter, omnis enim motus aut est violentus, aut naturalis, ut docet Philosophus iv Physic. text. lxxvii, si ergo motus non est cælo naturalis, quia solum habet principium passivum, erit violentus, et sic tenet Martinez super cap. i hujus libri, disp. i, q. ii. Alii vero dixerunt, neque est violentum illum motum cæli, neque naturalem, sed præternaturalem pro quo citatur Avicenna a M. Soto ii Phy. q. 1, et Scotus in ii, dist. ii, in fine, q. vi, et videri potest in iv, dist. lxxviii, q. ii, ponens potentiam neutram, mediam inter naturalem et violentam.

Cæterum S. Thomas expresse pluribus in locis, motum cæli dicit esse naturalem, ut videri potest i p. q.

LXX, art. III ad 4, et I de Cælo, lect. III et IV, et III contra Gent. c. XXIII, et quæst. V de Potentia, art. V, reducens perpetuo rationem naturæ in cælo ad principium passivum, quo naturaliter est susceptivum motus. Et probatur, quia cælum habet in se principium passivum inclinans ad motum sui circularem, et hic motus est ei naturalis, non propter terminum in se acquirendum, sed quia naturale est ei influere in hæc inferiora, ut primum alterans, ergo principium inclinans ad hunc motum circularem, natura est, eique conveniunt conditiones naturæ. Et hanc rationem ponit Div. Thomas in IV, distinct. XLVIII, quæst. II, articulo II ad 4, ubi dicit: Quod motus cæli non est de perfectione corporis cælestis, nisi in quantum per hoc est causa generationis in istis inferioribus; et sic est aliquid naturale ille motus. Est autem cælum principium passivum, non solum ratione materiæ, sicut omnes aliæ res, sed etiam ratione formæ, quia ex ipsa forma non consequitur motus active sicut in aliquibus, sed ab intelligentia recipitur.

Ad primum fundamentum respondetur in primis, quod etiam principium passivum potest pati violentiam, quando habet inclinationem in formam, qua privatur, et privatur illa sine alterius æque naturalis subrogatione, ut dicemus art. III. Vel secundo dicitur, quod cælum ut habet adjunctam intelligentiam moventem, etiam resisteret active mediante impulsu intelligentiæ, si sibi inferetur vis ad sistendum motum. Remota autem intelligentia movente, non erit violenta cessatio motus, et sic non resistet.

Ad secundum respondetur quod quies non erit violenta cælo, eo modo quo fiet post diem iudicii, ut docet D. Thomas q. V. de Potentia art. V ad 12, non quod illa quies sit ex

aliquo agente naturali; sic enim acquireretur per motum, et motus cessaret propter quietem, et sic esset motus imperfectus, quamdiu non acquireretur quies. Sed dicitur illa quies naturalis negative, quia provenit ex absentia moventis, cessabit enim tunc Angelus movere cælum, quia cessabit status generationis, qui ordinatus est a Deo ad complementum numerum electorum, non est autem illa quies positive naturalis et intenta, neque enim motus cæli est propter quietem, sed propter generationem inferiorum. Et ad instantiam, quod tunc motus non erit naturalis, respondetur quod ille motus non dicitur naturalis ratione termini, quasi acquirat aliquid ipsi cælo, in quo quiescat, sed ratione principii, quia passive inclinatur ad motum sui, quo perficitur et constituitur in ratione primi alterantis.

Ex quo etiam solvitur obiectio quorundam, quia tunc motus est naturalis, quando est acquisitio loci convenientis ipsi mobili, et tunc quies est naturalis, quando est conservativa præsentia convenientis, neutrum autem convenit cælo, quia non acquiritur ei locus convenientior, ex eo quod moveatur inter eundem circumulum. Sed hoc argumentum, quod fuit Avicennæ, procedit ex imaginatione, quod motus cæli est naturalis, sicut motus corporum imperfectorum, quæ moventur propter aliquid acquirendum, cælum autem, cum sit corpus perfectum et instrumentum intelligentiæ, movetur ad dandum, non ad acquirendum: et ita Div. Thomas in IV Sentent. citato dicit, quod in corpore cælesti non est aliqua potentia, quæ perficiatur per locum, vel quæ facta sit propter hunc finem, qui est esse in tali loco. Motus ergo cæli solum est naturalis, quia reddit cælum motum, ut causet in hæc inferiora, non ut sibi acquirat.

Ad aliam replicam, quod duo contraria erunt naturalia cælo, respondetur id non esse inconveniens pro diversis statibus, sicut gravitaturale est quiescere in centro, et moveri extra centrum.

Ad tertium respondetur, quod in illo casu aliqui dicunt, quod pars cæli tenderet sursum. Sed non assignant a quo principio caret enim levitate: et licet sit eminenter leve, tamen etiam eminenter est grave; et ita ex hac parte, non est major ratio ascendendi quam descendendi. Alii dicunt, quod expelletur ab elementis in locum superiorem, sicut oleum ab aqua ut sursum tendat. Cæterum oleum non ascendit per expulsionem aquæ, aut impulsum illi impressum ab aqua; sed quia levior est aqua, et habet partes magis aereas. Nec apparet quomodo elementa possent imprimere aliquem impulsum illi corpori cælesti, ut sursum ascenderet, et præsertim si in medio daretur vacuum, non apparet a quo impelleretur illud corpus cæleste. Dicendum ergo est ex D. Thoma I de Cælo, lect. V in fine, quod pars cæli ab illo abstracta neque moveretur sursum, nec deorsum, cum sit eadem ratio totius et partis; totum autem cælum caret levitate, et gravitate. Et hoc magis apparet considerando, quod corpora quæ moventur ratione gravitatis, et levitatis, moventur propter conservationem sui in proprio centro: propter hanc autem rationem cælum non ascenderet, quia cum sit incorruptibile, non indiget loco conservante. Sed tamen quia propter suam dignitatem debetur ei locus supra corpora corruptibilia, probabile est, quod illa pars cæli ascenderet ad suum locum, quatenus ex vi suæ creationis est sibi debitum esse in illo loco, non propter conservationem, sed propter dignitatem. Et licet cælum solum sit

mobile a motore extrinseco, hoc intelligitur quantum ad motum circularem in loco proprio, non tamen si extra proprium locum ponatur. Vel certe ab ipso creatore movebitur ad proprium locum, quia ex ipsa creatione illi est debitus propter dignitatem supra alia corpora.

Ad ultimum de cælo empyreo dicitur, quod licet illud cælum naturaliter sit ignotum, potest tamen reduci ad definitionem naturæ, quia est principium quietis, sed non motus; neque enim est necesse, quod quælibet natura in particulari sit principium motus et quietis copulative, sed sufficit quod alterius, licet natura in communi considerata utrumque complectatur divisive.

De gravibus et levibus.

Difficultas celebris est, an moveantur a principio intrinseco activo, vel passivo, et si est activum, an sit activum per modum dimanationis, sicut passio oritur a subjecto, vel per modum productionis, sicut mobile movetur a motore; et eadem difficultas est de motu, quod reduciatur aqua ad frigiditatem, vel aliud corpus ad qualitatem propriam, sed de his agendum et infra libro VIII.

De Angelis.

Dicimus: Nullo modo convenire illis definitionem naturæ traditam; licet enim habeant naturam, sumpta natura pro quidditate constituti ex suis pædicatis, non tamen habent naturam, quæ sit in ipsis principium motus imperfecti et divisibilis, sicut est motus physicus: habent autem operationes perfectissimas intelligendi et volendi, quæ propter suam universalitatem sunt capaces attingendi omnem naturam, et ideo